Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2231
Quelle:
Copyright:

Fol. 265. in calce dicitur *Quedam Recommendatio.* Et re ipsa finem versus legitur: *In hijs pulcherrimis scientijs isti venerabiles Baccularii laborarunt — adeo quod per rigorosum examen publicum et privatum digni inuenti sunt, quatenus in gradu collocentur altiori* &c. Unde nescio, quomodo haec Oratio locum inter Sermones *Conciliares* invenerit. Ejus Thema et initium: *Gloria autem bonor et pax omni operanti bonum. Rom. 2. Quamquam humanum genus per preuaricacionem* &c. Argumentum vero de diverso genere Laborum.

Fol. 269. p. 2. *Sermo*, ut in calce, *factus per Cancellarium Parisien.* Nempe *Joh. Gersonii* ille: *Prosperum iter faciat nobis* &c.

Fol. 276. Ejusdem ille: *Obsecro vos tamquam aduenas* &c. *anno* XV. ut in calce dicitur.

Fol. 281. Exordium cujusdam Sermonis ad Pontificem et Synodum in illud: *Dissipa colligaciones impietatis* &c. Incipit: *Beatissime — parumque rogo aduertite* &c.

Fol. eod. p. 2. *Quedam Notabilia de beata virgine.* Ineunt: *In ista materia doctor deducit talem conclusionem, quod maria ex maternitate ad filium dei maiori propinquitate coniuncta est patri in diuinis* &c. Subtilitates hae in verum Sermonem *de Assumtione B. V.* deflectunt, qui adeo non nisi exordio truncatus fuisse videtur.

Fol. 302. *Sermo Domini Concellarij Parisien. factus in festo natiuitatis marie.* Videlicet *Gersonii* ille: *Jacob genuit Joseph* &c.

Fol. 314. *Dominica XII. post. Pent. Notabile.* Est excerptum e Sermone Anonymi: *Cur am illius habe* &c. quem *Cod. cit.* retuli.

Fol. 315. *Sermo R*[mii] *patris et domini domini Sarisburiensis Episcopi* (Rob. Halam) *de Anglia dominica septuagesime predicatus. Erunt Signa in sole* &c.

Fol. 326. *Sermo Bernhardi Baptizati Abbatis O. S. B. in Constancia dominica XI. post pentec. Duo homines ascenderunt* &c.

Fol. 333. p. 2. *Sermo de Anno Jubileo.* et ad calcem: *factus per magistrum theodricum de Monasterio in XL. Dom. 3. Sanctificabis annum quinquagesimum* &c. Incipit: *Domini mei Reuerendi. Ex dictis sanctorum colligo et uidetur, quod gratia est auxilium diuinum* &c. Nihil videtur pertinere ad Concilium. Placet ingenuitas Autoris sub finem: *Eius enim gratia sum id, quod sum videlicet quinquagenarius in ordine et XLIX. anno etatis. Et praecipue ago Deo* (gratias) *quod sua gratuita gratia etsi non coram se — saltem aput homines ad plenam etatem sine nota mali euidentis gratiose me perduxit* &c.

Fol. 338. Sine omni nota Sermo in illud: *Si ueritatem dico, quare non creditis mihi* &c. Incipit: *Quae uideo omnimodam insufficientiam meam ad loquendum verbum veritatis* &c. Habitus *lugubri tempore, quo sancta mater ecclesia luctuose commemorat humilli-*